Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

1461

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 7. Januarii.

M. MICHAELE SAUVALLE, Doctore Medico, Præside.

An malignis febribus venæ sectio?

FEBRIS est motus inordinatus sanguinis, quo nititur emendare quidquid habet vitii, amandare quidquid inquinamenti: est quippe emendatio vivifici liquoris opus ejusdem liquoris se se vi propriâ commoventis, humores noxios secernentis, expuentis. Tanti est ad vitam & sanitatem debita sanguinis motio! huic obstant multa, nil magis quàm sanguis ipse cum vitiosus: censeatur talis quoties exuperat, tumultuatur, concrescit, stagnat, vappescit: se ipsum peccantem tot modis nativæ crasi restituit, facilè si culpa levis, difficilè si culpa gravis: quò gravior, eo majora victuri sanguinis molimina, major puri cum impuro lucta, totius sanguinis effervescentia major, quandoque tanta, vix ut possit cordis Anthliâ totus propelli, alveis quos excurrit contineri. Factus turgidior, & loci arctioris impatiens, arterias venasque expandit, quantum patitur vis elastica fibrarum: hæ validiùs crebriùsque extensæ, validiùs crebriùsque contrahuntur, contentum sanguinem velut funiculi totidem diverberant, exagitant, variè permiscent, ad orgasmum concitant, eò conspirantibus sanguinis vasorumque nisu, tumultu reciprocis. Sanguis, si quid aliud, ad effervescendum pronus, propter spirituum quibus turget copiam, tenuitatem: partium quibus constat varietatem, mobilitatem, accepto aliunde impetu fervet impensiùs, conceptum calorem quò quò versùm diffundit, sicque accenditur febris. Ratione moris, benigna est vel maligna: variat hæc pro diversitate sanguinis malè affecti, cujus labes non una; præcipuæ sunt rapiditas, pigrities, ab his reliquæ. Oritur prior particulis ejus supra modum actuosis, evectis: posterior otiosis, involutis. Ex duplici hoc fonte profluit morbus penè omnis, omnis apoplexia, pleuritis, peripneumonia, inflammatio, maligna febris. Quæ à sanguinis excandescentiâ, initio fera, intensior, manifesto discrimine plena, furit palam, aperto marte dimicat. Quæ à sanguinis lentore, initio blanda, remissior, specie secura, glisci furtim, insidiosè pugnat: utrique medetur id genus auxilii, quod ita moderatur cursum sanguinis, ut rapidiori frænum injiciat, tardiori stimulum addat.

MALIGNÆ febres sunt è familiâ putridarum, differunt solo gradu putredinis quæ in merè putridis minor, in malignè putridis major. Hæc insensissima est spiritibus, quos tertâ suâ anathymiasi cum opprimit, sequuntur sopor, corporis gravitas, &c. cum perimit, syncope, pulsûs languor, &c. cum in motus incongruentes cogit, delirium, convulsio, &c. Nec est quod credatur putredo extremum in rerum ignoratione perfugium. Circa illius essentiam qui tantâ contentione certant, sicut alibi passim rebus consentiunt, verbis discrepant. Putredinem febris malignæ parentem accersit quid acrius acidius ve sanguini admixtum: aciditas nimia colligit partes sanguinis imprimis fibrosas; eæ collectæ alias è sinu suo exprimunt disjiciuntque ut nullis consocientur nexibus, unde putredo. Interea, quæ coëunt partes in minimos arteriarum tubulos ægrè protrusæ, in iisdem hærent, intricantur; aliarum accessu fortiores ignescunt, ni cohæsionis vincula citò disrumpantur, simili ferè modo ac fenum calidius putret, incenditur. Acria teneras sanguinis fibras pungunt, penetrant, divellunt, secant, contextum abrumpunt, verbo dicam, sanguinem dissoluunt, unde sanguis putrescens. Quid enim putredo nisi dissolutio sanguinis tanta, ut fibrosa pars malè cohæreat, serosa huc illuc dissiliat? dissolutus sanguis hinc inde rapitur impotentiùs, implicatur viscerum vasorumque poris quos obstruit. Dari ejusmodi fermenta morbosa non repugnat, nec si quid sensûs fugit, id non esse putandum est. Spirituum doctrinâ nihil obscuriùs, ideo non exploduntur ex physicis rebus præcipua hæc naturæ instrumenta, Medicinæ fundamenta. Idem esto judicium de corporibus mole minimis, vi maximis, quibus Malignæ febris origo tribuitur. Hæc suas exerunt vires, citiùs, seriùs: prout sanguinis quem afficiunt, major minor ve fermentatio: utrique prospicit, qui nimiam compescit, imminutam accelerat.

FEBREM malignam cum periculosâ, imò & lethali qui confundit, abutitur nomine. Putrida, non secus ac maligna, quatenus acutæ vehementibus stipantur symptomatis, sed (quod perversitatem probat) hæc insolitis, putridæ non congruis; illa solitis, sibi consonis. Calor deurens, cum siti magnâ, asperitate linguæ, pertinacibus vigiliis, causum arguit vulgarem bene moratum: his adjuncta syncope, sopor, convulsio, insolentem malè moratum: noscitur quippe malignitas morbi ex syndrome symptomatum, quibus cum ejus indole non convenit, ex concursione effectorum quæ non concinunt causis; hinc suspicioni locus est, cum adsunt febris mollior, insania tumultuosior, calor mitis, immodica sitis, linguæ scabrities, pulsûs mollities. Febri malignæ nulla fides. hinc metu mortis terret non fucata feritas, illinc spe salutis lætat ementita imbecillitas: utraque quàm fallax! quot malesida benignitas è medio sustulit? quot terrifica immanitas superstites reliquit? in acutis omnibus præsagia non omnino certa, in malignis prorsus incerta, id cum alia multa suadent, maximè fluor alui, aliis citra coctionem salutaris, aliis cum coctione exitiosis; prosperum quibusdam sanguinis stillicidium, Filisci, Epamenonis, Sileni interitu infame Hippocrati, eodem autore, nemini non funestum, frequens è somno incrementum mali, cephalalgia, delirium, mors nonnunquam opptimens incautos, mente sanos, pulsus æqualis, urinæ laudabilis fiducià fretos. Sic peritissimis imponit affectus ille, à consimilium sorte degener, alienus, cujus multiplex facies: sæpe formam induit intermittentis, sæpius continuæ, utriusque non raro particeps, neutriûs adstringitur legibus. Signum illius constans, perpetuum, frustrà quæras, nisi rationem habeat signi pathognomonici, nulla in signis servata ratio. παράδοξον est morbus, non propterea ἄτοπον sit Medicus: non ideo nova sit Medicina, quia febris est nova. Sed vide cui sit proxima; utere præsidiis quæ vicino malo sæpius succurrerint. Hæc triplicis sunt ordinis; vacuantia, cardiaca, alterantia. Cardiaca publici sunt saporis, parcè tamen adhibenda, parciùs quò insignior sanguinis spirituumque incandescentia; si deflectitur ab hâc methodo, sive ad ostentationem artis, sive adulatione artificis, peccatur graviter; hæc etenim assumpta largiùs, ut blandimenta sunt febricitanti, sic irritamenta febri. Cur iis nimiùm indulges, solis confidis, quasi desint alia curandi instrumenta? horum ætate nostrâ tanta est ubertas, ut deligendi cura faciat te ancipitem, cave ne inopem. turpis Medico penuria remediorum, utilis ægro delectus meliorum. Hæc inter meretur palmam venæ sectio, quæ ita moderatur cursum sanguinis, ut rapidiori frænum injiciat, tardiori stimulum addat.

MALIGNA febris ut ut complicata negotium non faceſſet tibi, dum memineris esse te discipulum, ministrum naturæ, cui obtemperare munus est medentis, salus ægrotantis. Attende quâ viâ se se expediat, eandem, si sapis, insiste: penès sanguinem culpa, vide quid agat, quid patiatur sanguis, cum ingravescit aut mitescit affectus; cum interit aut convalescit ægrotus. Sanguis stillans è naribus minatur pernicièm, ubertim profluens præcavet phrenitidem, effluxu prohibitus portendit insaniam. Quid plura? convelluntur, præfocantur quibus hæmorrhagia perperam sistitur, ex his quid conjicias? id unum quod monet Medicorum Antistes, *detrahendum sanguinem, si acutus fuerit morbus, qui ægrotant fuerint florenti ætate, & virium robore valuerint, dum adhuc μετώπου qui affligunt, tum spiritus, tum humores:* ecquid aliud indicant corporis lassitudo, segnities, propensio ad somnum? quid dolor lumbis, pectori, dorso affixus, reliquo corpote mobilis, errabundus? quid oculorum splendor delirii prænuncius? quid tussis, anxietas, sitis, vigilia, loquacitas? quid papulæ præfervidi sanguinis indices? his contraindicari venæ sectionem, quod erumpentes succos intùs revocet, sententia est vulgi insipientis, nescientis motum sanguinis, naturæ, cujus est imitator, adjutor, qui venam tundit etiam consPectis in cute maculis. quid porro in Malignis febribus sanguinis missionem non suadet? diffluadet hanc sola virium jactura, suadet ipsa febris, qualiscumque sit sanguis illam committens, celerior, segnior; rarior, densior, tenuior, crassior. Sanguinis turbas sedari κενοφοΐᾳ probatione non indiget, eâdem arte pigrum exstimulari quis non videt? à sanguine concrescente inflammatio interna, qualis in Phlegmone hepatis, à sanguine exæstuante inflammatio externa, qualis in Erespelate cutis. Cor sanguinem pellit valentiùs in causo, pellit debiliùs in timore subito. In hoc vix sentitur pulsus, in illo percipitur validus: in his omnibus quis nescit quanta ex sanguinis profusione utilitas? magno sanè argumento sanguinem venâ sectâ tardari, citari; ferri, intus foras; foris intrò, pro exigentiâ. quid ni ergo mittatur in omni febre maligná, sive acutâ, sivemolli, cum par sit utrobique sanguinis textura, motio. Scilicet quæ principis remedii laus est non minima, febri subtrahit fomenta, ministrat incitamenta. Hæc extranea ne credideris, sunt ipsi sanguini coæva, insita; sunt partes ejus tenuissimæ, spirituosæ, quas crassioribus irritatas, in libertatem vindicat missus sanguis: detractâ si quidem illius portione, quæ reliqua est liberius spatium nacta flatim se se explicat, rarefacta admittit circumfusum aërem: ejus accessione fiunt Spiritus vividiores quorum ope inducitur fermentatio, sæpe molesta, semper necessaria, non cessatura, si natura victrix, donec febrilis æstus deferbuerit, expulsa fuerit febrilis materies.

QUALISCUMQUE ergo sit febris maligna, dum constent vires, venam seca, nec te à proposito deterreant recentiorum hypotheses: si bene intelligantur, veterem Medicinam confirmant, non immutant. Enim verò nascatur febris maligna, vel à coagulatione sanguinis, vel ab acriori sale, ut volunt, quid inde ad versùs nostram thesim? quid contrà quod eam non stabiliat? si Neotericis hâc in parte accedimus, omnem paginam implent temperantia, dissolventia: quid autem magis temperat, quid dissolvit tutiùs sanguinem quàm venæ sectio? depletâ venâ, depletur arteria: quantum enim minuitur renixus venosi sanguinis, tantum augetur vis arteriosi, augetur ex æquo utriusque velocitas: auctâ velocitate sanguinis, præcedens à succedente recedit promptiùs, minus à tergo pressus, minus in se nititur, reflectitur, minus atteritur, minorem attritionem sequitur imminutio caloris, optata refrigeratio, cessat perturbatus, concitatior, peregrinus febris calor, præpeditur, vel tollitur omnis concretio, vasorum obstructio: sanguis enim infarctus minutioribus arteriis, earum elateri vim fecit, quam potuit maximam, tantam, ut resilire nequeat, resilit exonerato vase; resilientibus fibris redit quæ perierat systole, systolem proxime sequitur diastole, diastolem minor ab incumbente membranâ sanguinis pressio, minorem pressionem desiderata rarefactio, rarefactionem mutatio situs, ordinis, motus partium sanguinis, mutationem illam nova mixtio, ab arteriis in venas naturalis commeatus. Hæc omnia quæ ex venæ sectione commoda, aëris sanguinem ventilantis sunt beneficia; nec enim ventilationis nomen inane est. Aëris aditu servatur à conflagratione fenum putre, incendium minitans; pariter & sanguis, aër si quidem partes sulphureas agglomerari ceptas, à coalitu liberat aut tuetur. Sanguis aëris afflatu factus fluidior, in objecta repagula ruit vehementiùs, repetitis conatibus viam sibi aperit, obstruentem materiam indefinenter alluens particulas aliquot identidem abradit, donec itu redituque frequenti omnes secum abripiat, moli sanguineæ reddat; quæ cum ita sint, ea medendi ratio putetur optima & physicæ magis consentiens, quæ parvifactâ malignitate, quamdiu vires non pessundat, febrem malignam perinde ac putridam oppugnat iis omnibus, quæ rutò sanguinem refrigerant, comminuunt, demulcent: quem scopum uter attingit, qui utitur lactis sero? an qui jusculis viperinis? qui putridum sanguinem quantum opus est vacuat; an qui venâ ter quaterve pertusâ, phlebotomiâ supersedet citiùs, quod non minuatur febris, quæ ab ipso ortu magna: crescat, quæ parva, quasi non sit è ratione febris, hanc intendi, quia ignis sopitus: illam subitò non remitti, quia latè sparsus. Cur itaque subsistis, pergere cum debeas? Hyems nuperrima feraxfuit malignis febribus, variis curatæ sunt modis: quibusdam fuere cardiaca instar omnis armaturæ, aliis visum est parcere cardiacis, in partem operis maximam vocare scalpellum. Nocuit prior praxis, profuit posterior, quibus potissimùm fuit profusus sanguis, manu, pro virium constantiâ, liberali.

Ergo malignis febribus venæ sectio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius Quiquebeuf.
M. Michael Joannes Garbe.
M. Bertinus Simon Dieuxivoye.

M. Joannes Boudin.
M. Guido Erasmus Emmerez, Scholarum Professor.
M. Michael de Hodencq.

F.M.P. BIBLIOTHECAIRE

M. Nicolaus Morin.
M. Claudius Quartier.
M. Michael de la Vigne.

Proponebat Lutetiæ JOANNES-BAPTISTA GABRIEL FRESSANT, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1694.